

Nf. 24.



PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
**D. MICHAEL
ALBERTI,**

AVG. REGIS BORVSS. AVLICVS ET CONSIST. MAG-
DEB. CONSILIARIVS, MEDICINAE ET PHILOSO-
PHIAE NATVRALIS PROFESSOR PVBLICVS
ORDINARIVS, CETERA:

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO,
ET PROFESSORIBVS
RELIQVIS,

PIAM ET SANCTAM FESTI ANASTASII,
RESVRGENTIS IESV CHRISTI
MEMORIAE SACRI,
CELEBRATIONEM,

ca.

ET IN EA DIGNAM LOCI, QVI IN VNIVERSO
CODICE NOVI FOEDERIS OMNIVM
MAXIME EMPHATICVS EST, MEDITATIONEM
QVAM HVMANISSIME COMMENDAT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOANNIS GRVNERTI, Academ. Typogr.

Ephes. I, 19. 20.



PROFESSOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
D. MICHAEL
ALBERTI
MAG. REGIS BORV. AVICVS ET CONS. MAG.
PUB. CONSULTIVS, MEDICINAE ET PHILOS.
PHYSICAE NATVRAE PROFESSOR PVBLCVS
ORDINARIVS
DIRECTOR ET CANCELLARIO
ET PROFESSORIBVS
TAM ET SACR. ANASTASII
RESURGENTIS IESV CHRISTI
MEMORIAE SACRI
ET IN P. DECAN. TOC. Q. P. VIVVERSO
HABIT. P. VIVVERSO
HABIT. P. VIVVERSO
HABIT. P. VIVVERSO





Aulum, & reliquos scriptores Iev-
πνεύματι, doctrinæ & historiæ Christi-
anæ hypotyposin plurimis in locis
sancta cum emphasi nobis descri-
ptam exhibere, eorum, qui illam
vel mediocri tantum attentione
oculis suis subiecerunt, nemo
ignorat. Nec ipsis rerum, de quibus agitur, ponderi-
bus, & sanctioris, quo viri Dei commoti erant, affe-
ctus abundantia poterat non verborum ac locutionum
δείωσις respondere. In illorum vero locorum, quæ præ
aliis insigni elocutionis gravitate se commendant, nu-
mero facile princeps, & tanquam stella primæ, immo
singularis, magnitudinis in cælo biblico est, di-
ctum illud ad Ephes. I, 19. 20: ut agnoscatis τὴν ὑπερ-
βάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως αὐτοῦ εἰς ἡμᾶς τὰς πιστεύοντας κατὰ
τὴν ἐνέργειαν τοῦ πνεύματος τῆς ἰσχύος, ἣν ἐπέργησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἐγεί-
ρας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν: ut cognoscatis, quæ sit supereminens
magnitudo potentia eius (Dei Patris) in nobis, qui credi-
mus secundum efficaciam roboris virtutis ejus, quam exseru-
it in Christo, eum e mortuis suscitans. Quorum verbo-
rum vis ut recte perpendatur, attendenda imprimis est
VOX πιστεύουσας, εἰς ἡμᾶς τὰς πιστεύουσας, erga nos, seu in nobis,
qui credimus: utpote ad quam reliqua omnia referuntur.

Sermo enim est de *fide*, & quidem de *fidei origine*. Quæ cum in nostris corruptæ naturæ viribus plane non sit posita, ortum fidei mere divinum tot ac tantis verborum luminibus describit gentium doctor, ut simul; quantæ præstantiæ ac virtutis ipsa fides sit, nobis ob oculos ponat; & ea quidem Christi e *mortuis resuscitati* mentione adjecta, quæ, quid excitatio fidei in nobis efficiat, scilicet *resurrectionem spiritualem*, quam luculentissime declarat. Atque ita videmus, loci hujus meditationem præsentem hujus temporis festi articulo esse accommodatissimam.

Septuplicem vero emphasin eidem inesse, observatu est facillimum. Voci enim πιστεύουσας, *credentes*, δεινῶσας verborum *triplex* præmittitur, *quadruplici* eidem subjuncta. Apostolus indicaturus, fidem non nostrarum, sed divinarum, esse virium, de ea adhibet vocem δυνάμεις; *potentie*. Et cum dicere potuisset: τις ἡ δύναμις, *quam sit illa Dei potentia*, qua succincti credamus; hoc ipsi non sufficere visum est: ideoque voci δυνάμεις præmittit vocem μέγας, *magnitudo*, potentiæ maximæ & infinitæ notionem nobis insinuans. Ponderi vero pondus additurus adhibet vocem ὑπερβάλλον, indicans, illam potentiæ magnitudinem, qua in nobis fides accendatur, non solum obstaculis ejus removendis esse parem, sed istis etiam multo superiorem & eminentissimam.

Cum vero neque hæc sufficerent Paulo, pro affectus sui abundantia, ex ipso gratiæ efficacissimæ sensu exorta, factæ fidei mentioni subjungit vocem ἐνεργίας, *efficacia*: & significaturus, se ἐνεργεῖαν intelligere validissimam & penetrantissimam, vocis istius emphasin auget additis vocibus τὸ κεντρὸς τῆς ἰχθύος. Atque ita fatis superque indicat, quanti divinam faciat gratiam, quæ accessione fidei e damnabili naturæ statu in regnum Dei nos traducat. Et quis dubitaret, Paulum præcipue respexisse

xiffe ad sui ipsius conversionem? ad conversionem, qua ipse ex ecclesiæ Christianæ lupo, ad furorem usque rapaci, transformatus fuerat in ovem & pastorem, immo in pastorem oviumque formatorem & Apostolum? In qua sui mutatione, quæ ipsi aliisque visa fuerat esse ἐν τῶν ἀδυνάτων, cum sensum gratiæ plenissimum accepisset, & eodem adhuc quam vividissime afficeretur, ex hac animi, in gratiæ divinæ admirationem abrepti, plenitudine abundavit elocutio. Et ut divinæ operationis magnitudinem exemplo comprobaret omnium illusterrimo, ipsum allegavit IESUM CHRISTUM, & in eo ipsius resuscitationem e mortuis, adferens, eandem divinæ potentiæ ἐπέργεσθαι, quæ in ea demonstrata sit, etiam in excitatione fidei declarari. Quibus verbis quemadmodum nexus, qui Christo capiti cum corpore & membris ejus mysticis intercedit, arctissimus indicatur: sic iisdem analogiam inter resuscitationem ac resurrectionem capitis naturalem ac membrorum spiritualem quam aptissime insinuari, non est dubium. Quæ cum ita sint, nemo videt, hoc Pauli oraculum in emphasiologia N. T. biblica merito primum locum sibi vindicare.

Dignissima itaque sunt hæc Pauli verba, quæ pia meditatione considerentur; inprimis hoc temporum articulo, quo cultu publico & privato sacra Christi e mortuis resuscitati memoria recolitur. Quæ meditandi dignæque applicandi opera, ut eo facilius VOBIS succedat, CIVES OMNIUM ORDINUM CARISSIMI, ecce vobis quædam diversi generis selectiora porismata, quæ iusta consecutione e dicto isto resultant:

Didascalico-elenctica.

1. Summa nature nostræ est corruptio, summa ex ea emergendi ἀδυναμία, ingenti, quo per peccatum laboramus, reatui

sentui juncta. Egemus enim fide in redemptorem, qui ob peccata nostra in mortem traditus piacularem, ex eadem gloriose resuscitatus est. Et fides ista non nostrarum, sed divinarum, est virium, a sola operantis Dei efficacia dependens.

2. *Non solum nature, sed etiam gratie regnum est regnum potentie divine:* si quidem in eo, seu in hominibus in illud transferendis, Deus fidem quam potentissime operatur,

3. *Homo quidem a trunco quam maxime differt: in certo tamen genere trunco multo est deterior;* quippe qui pro contracta peccati labe gratiæ operanti resistit. Ex eo enim, quod illi morosum ponit obicem, & Deus tamen hunc revellere non desinit, Paulo, accedente affectu sanctiore, enata est tam emphatica elocutio.

4. *Excitatio fidei est hominis in peccatis mortui resuscitatio & resurrectio spiritualis.* In hac enim, uti Paulus haud obscure indicat, perficitur salutaris applicatio mortis & resurrectionis Christi, e vita gratiæ ad vitam gloriæ tendens & perveniens.

5. *Resuscitatio anime spiritualis est ejusmodi omnipotentia divine opus, quod magnitudine sua opus resuscitatorum & resuscitandorum corporum permultum superat.* Etenim mortuos, e. g. Lazarum, Filius Dei vel unico verbo restituit, ad unum omnes in extremo iudicii die sic restitutus. At *Judeorum* pervicacem *avariclav*, integro aliquot annorum tractu & copiosis orationibus, stupendisque operibus oppugnatam, minima ex parte expugnare potuit. Unde ratio illa, cur Paulus tanta verborum congerie, in prædicanda Dei potentia fidei effectrice, utatur, denuo illustratur.

6. *Dei potentia, voluntati ejus liberæ juncta, est quidem infinita; ordinariè tamen non agit absolute, sed ordinatè, in ejusmodi ordine constituto, in quo potest admitti*

¶ 16.

Et repudiari. Quod si enim absolute ageret; quid Pauli opus fuisset eo verborum cumulo, quo ad designandam hominis repugnantiam, in multis tandem tamen expugnabilem, usus est?

7. *Humana natura prædita est eo arbitrio,* quod quidem in rebus, ad salutem spiritualem ac æternam pertinentibus, servum, seu potius nullum est, si vires respicias; at quod tamen eam habet & retinet *libertatem*, ut ejus abusu gratiæ operanti possit *resistere*: quemadmodum e modo dicta gratiæ indole per se resultat.

8. *Atque ita hic habemus doctrinam evangelicam utrique extremo oppositam:* nimirum illi Pelagianorum ac Socinianorum de ejusmodi *liberi arbitrii* viribus naturalibus, quæ ad fidem doctrinæ revelatæ præbendam sufficiant: nec non isti de operatione gratiæ absoluta, pro *absoluto* electionis ac reprobationis decreto.

Epanorthotico - pædeutica.

1. *Quid moraris, o misera anima, in morte peccatorum spirituali?* Resurrexit Dominus, omnis mortis domitor: Dominus, cui aut nunc, aut nunquam, vives & servies; Dominus, cui servire summa & beatissima est libertas! Relicto itaque Epicuri grege Christi membris te aggrega, seu aggregandum permitte.

2. *Et quid crepas, o mens Epicurea, peccatorum veterino consopita; quid crepas infirmitatem humanam,* eamque exhortationi ad vitam nomine christiano dignam opponis? Nonne tibi commendatur, immo oblata insinuatur, Dei gratia, infirmitati tuæ quam potentissime medicatura? Cur te ei non permittis?

3. Paulus cum sui temporis christianis, genuini nominis talibus, *credidit secundum magnitudinem divinæ gratiæ,* quam efficacissime se exferentis: tu vero credis secundum chimericam fidei fictionem. Cujus quemadmodum ipse auctor es infelicissimus: sic ejus & totius status tui effectum deplorandum senties in morte æterna.

4. Unusquisque per salutem suam spiritualem & æternam obstrictus est, ut semet ipsum sincere exploret, utrum in *excitatione e morte spirituali veram fidem,* & cum *fide vitam spiritualem,* acceperit, nec ne? Quandoquidem gratia fidei ex-

fectrix

ferrix est medicinalis, medicamenti instar quam efficacissime operantis; res exploranda omnino cadit sub sensum interio-rem.

5. Cum gratie divine efficacia, tantopere a Paulo prædica-
cata, per verbum Evangelii se olim tam potenter in animis
diffuderit; dare operam, o NOSTRI CIVES, ut illud per
ferias hasce anastafias attente audiatis, & sacris publicis reve-
renter habitis, eandem præconij evangelici ἐπέγγελται ad fidei ac-
censionem, aut confirmationem, in vobis experiamini.

6. Fides vera non est *περὶ ὧρας*, seu in horas mutabi-
lis; ne homo fidelis est vertumnus: sed sibi perpetuo constat,
Deo fidem servans addictissimam. Credit enim secundum
eam Dei gratiam, quæ non minus in conservanda, quam in ex-
citanda fidei vita se exhibet efficacem.

Paracletica.

1. Qui, Christianismi practici necessitate, *suarumque
virium impotentia*, agnita, animo est anxio & dejecto, is se eri-
gat consideratione istius efficacis, qua *Deus nostram infirmita-
tem sublevat*, ipso excitata fidei robore nos induens, & effi-
ciens, ut fides nostra, evangelicum illud Dei opus, Io. VI, 29.
existat victrix, immo ipsa quasi victoria, de mundo, nos intus
possidente, & foris sollicitante Io. V, 4.

2. Quod si fides est *imbecillior*, modo vera sit & vitæ ac
lucis spiritualis caractere insignita, in hostium spiritualium
impetu destituit neminem, sed, pro divina sua origine, indo-
lem servat divinam, *ὑπερικήσασα ἐν πάσῃ* Rom. VIII, 37. utpote
ipsa *δύναμις*, ad constantiam & salutem validissima. Uti enim
per Dei potentiam, sic etiam per fidem, tam potenter exci-
tatam, conservamur ad salutem. 1 Pet. I, 5.

3. Omnium vero efficacissime fides se exerit in morte
corporis; utpote ipsa vita spiritualis, qua spiritus hominis im-
mortalis recte animatus, superato mortis metu, sub spe resusci-
tandi corporis certissima, e regno gratiæ in vitam gloriæ æter-
nam transit triumphans.

Hæc, & quæ hujus generis plura sunt, meditamini, CI-
VES CARISSIMI; & ita quidem, ut meditationis vestræ fru-
ctus ad eundem scopum terminumque, eo quam certissime per-
venturus, digne contendat. P. P. Halæ Saxonum in ip[s]is fe-
riis Christi anastafias, anno MDCCXXVII.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PRORECT
ACADEMIAE FRID
D. MICHAELIS
ALBERTI

AVG. REGIS BORVSS. AVLICVS
DEB. CONSILIARIVS, MEDICINAE
PHIAE NATVRALIS PROFESSOR
ORDINARIVS, CENSOR
VNA CVM

DIRECTORE, CANONICO
ET PROFESSORE
RELIOVIS

PIAM ET SANCTAM FES
RESVRGENTIS IESVS
MEMORIAE
CELEBRATIONE

ET IN EA DIGNAM LOCI, CENSOR
CODICE NOVI FOEDERIS
MAXIME EMPHATICVS EST,
QVAM HVMANISSE COM

HALAE MAGDEBVR
Typis IOANNIS GRVNERTI, A

Ephes. I, 19. 20.

